

ILLUSTRATIO.

1. *Fides* hic sumitur latiori sensu, secundum quem ea sese exserit non solum in justificatione, sed etiam & quam maxime in integro renovationis cursu.
2. Extra regenerationis ordinem ac renovationis statum fides nihil est, nisi Epicurea, aut hypocritica securitas, vitæ christianæ pestis.
3. *Gratia divina* est ille Dei favor, quo is intuitu meriti Christi nos tam benevole complectitur, ut, Christi justitia nobis imputata, injustitiam nostram nobis non imputet, & in filios adoptatos variis charismatibus ditet beetque, ac per eorum affluxum sensumque ac possessionem nos viribus, ad vitam evangelio dignam & legi convenientem, instruat atque exornet. Quæ gratia respectu indignitatis & miseræ nostræ misericordiæ nomen habet.
4. *Meritum Christi* est is satisfactionis Christi fructus, in statu exinanitionis per obedientiam activam & passivam acquisitus, & per exaltationis statum declaratus, quo nobis ad thronum ac bona gratiæ per fidem aditus exhibetur patentissimus.
5. *Meriti Christi applicatio* est ille ipse aditus ad thronum gratiæ fiducialis, quo gratia, cum dotibus suis apprehensa & quasi induta, animæ sese quam intime insinuat, eamque insinuando & penetrando magis magisque ungit, imagine Dei sic subinde luculentius in nobis instaurata.
6. *Paupertas spiritalis* est is naturæ nostræ corruptæ status, quo peccatum apud impios cum reatu suo adhuc dominatur, regentis vero reliquiis suis adhuc multum negotii faceffit.

7. Sen-